

rographum expleatis, ne, dum justus iudex ad iudicandos vivos, atque mortuos, et saeculum per ignem advenerit in futuro iudicio, idem princeps apostolorum idem chirographum demonstrans nullam habere firmitatem, disjunctas faciatis cum eo rationes. Sed magis explete quod promisistis velociter, ut iterum vitam aeternam, quam ab ipso principe apostolorum promissam habetis, possideatis. Obsecro vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, per Deum omnipotentem, qui continet omnia sua potentia, et per sanctam ejus matrem gloriosam semper virginem Mariam, dominam nostram, atque virtutes coelorum, et per beatos principes apostolorum, Petrum et Paulum, atque per tremendum iudicii diem, ubi omnes ad reddendum de nostris factis rationem assistere debemus, ubi nulla excusatio ingeniosa velociter et sine ullo impedimento, quod beato Petro promisistis per donationem vestram, civitates et loca, atque omnes obsides et captivos beato Petro reddite, vel omnia quae ipsa donatio continet: quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante beato Petro, unxit in reges, ut per vos sancta sua exaltetur ecclesia, et princeps apostolorum suam justitiam suscipiat. (*Sacrorum Conc. Collectio Philippi Labbaei. Codex Carolinus, Epistola III Stephani secundi, papae*).

(53)... *Epistola V Stephani secundi, papae, ad Francos, missa sub nomine Petri apostoli et Stephani ad eosdem, pro subsidio contra Longobardos*. Ideoque ego apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios... pro certo confidite memetipsum, tamquam in carne eorum, vobiscum assistere, et per hanc adhortationem validis constringere atque obligare adjurationibus... Sedet domina nostra, Dei genitrix, semper virgo Maria, nobiscum; magnis obligationibus protestatur, atque admonet et jubet, simul etiam et throni et dominationis, vel cunctus caelestis militiae exercitus, nec non et martyres et confessores Christi et omnes omnino Deo placentes, et hi nobiscum adhortantes et imperantes protestantur, quatenus doleat vobis pro civitate ista Romana, nobis a Domino Deo commissa, et ovibus